SUMMUS PONTIFEX

A B

Impugnatoribus ſuis vindicatus

PER

EPISTOLAM APOLOGETICAM

Adverſus Epiſtolam

Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi

GILBERTI DE CHOYSEUL

DU PLESSY-PRASLAIN,

EPISCOPI TORNACENSIS,

Miſſam ad

Eximium ac Reverendum admodùm D.num

D. MARTINUM STEYAERT

Sacræ Theologiæ Doctorem & Profeſſorem ordinarium in Facultate Lovanienſi:

D E

POTESTATE ECCLESIASTICA.

Per D.num FRANCISCUM VERITE' *Salvatorianum.*

Leodij, Typis Jacobi Monſort. 1688.

Digitized by Google

Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Domine,

NON mediocri me lætitiâ affecit epiſtola veſtra tam bono motivo (utinam & tam felici ſucceſſu) conſcripta. Etenim ſimul atque Epiſcopum non qualemcumque, ſed ætate grandævnm, canitie venerabilem, doctrinâ eximium, & Spiritu S. quaſi repletum, zelo zelantem pro Domino Deo exercituum prorumpentem vidi in in hæc verba: *Quis enim non doleat fratres ita inter ſe diſſidere? certè cùm enumeratis ſex quæ odit Dominus ſapiens ſignificet, ſeptimum eſſe, quod deteſtatur anima ejus, eum ſcilicet, qui ſeminat inter fratres diſcordias.... prov. v.* 19. *Indè manifeſtè concluditur nihil eſſe quod magis abominetur Deus, quàm ſciſſuras inter ſuos; cor.* 11. *v.* 18. *Quarè nihil gratius eſſe exiſtimem, quàm diſtractos in priſtinam concordiam revocare, præſertim ſi ſit de Religione contentio.* Simul atque, inquam, hæc legi, exultans exclamabam: ô zelum Eccleſiaſtico Præſule digniſſimum! magnâque aviditate (ut ſum pacis amator *non verbo neque lingua, ſed opere & veritate.* 1. *Joan.* 3) ſcrutabar media quibus pacem componere inter D. Steyaert, & Theologum Gallum tam zeloſè niteris; ſed concipere nequivi quomodo ad præfixum ſcopum perducere poſſent, cum non niſi Theologi Galli partes agere, & Domini Steyaert Rationes convellere in propoſito habere videaris, quod mihi (ſalvo meliori) non videtur medium aptum ad diſtractos in concordiam revocandum: verumtamen quia pacis amator debet diſtractorum genios prius explorare, & quia video Illuſtriſſimam veſtram gratiam hoc medio delectari, ideo ego pacem compoſiturus inter vos, Theologum Gallum, & E. D. Steyaert fundamenta veſtra enervare conabor, non futilibus ratiociniis, ſed irrefragabilibus Canonum Sanctionibus, ſanctorum Patrum teſtimoniis, decretis ſummornm Ponticfium, quos ipſemet hac in materia *teſtes omni exceptione maiores* appellas, nec immeritó cum ex c. ſi Romanorum d. 19. didiceris *nullam differentiam eſſe inter illa decreta, quæ in Codice Canonum habentur, Sedis Apoſtolicæ Præſulum, & ea, quæ ra multitude vix per ſingula volumina corpora reperiuntur.* Si nulla ſit differentia inter Canones, & *Decreta Sedis Apoſtolicæ Præſulum* (uti nullam eſſe adhuc clarius demonſtrabo) illis indifferenter utar ut opinionem veſtram evincam illis authoritatibus, quibus contra cuncta inimicorum jacula perſiſtere valeam: ſic confidenter loquor cum Julio Papa dicente; *nolite errare fratres mei chariſſimi, doctrinis variis, & extraneis nolite abduci: en inſtituta Apoſtolorum, & Apoſtolicorum virorum, Canoneſque habetis, his*

Digitized by Google

fruimini, his circumdamini, his delectamini, his armamini, ut his freti, circumdati delectati, armati, contra cuncta inimicorum jacula perſiſtere valeatis. d. XI. c. *nolite errare.* & ſi his convictus argumentis nihilominus in opinione tua pertinaciter perſeveres, cum eodem Julio Papa conquerar: *ſatis indignum eſt, quemquam vel Pontificem, vel ordinum ſubſequentium hanc regulam refutare, quam B. Petri ſedem, & ſequi videat, & docere. Multùm enim convenit, ut totum corpus Eccleſiæ in hac ſibimet obſervatione concordet, quæ indè authoritatem habet; ubi Dominus Eccleſiæ totius poſuit principatum,* & quidem talem, ut Summum Pontificem *Monarcham* ſuum agnoſcat univerſa Eccleſia, non ſolùm ſicut (ſed magis) agnoſcit Gallia Ludovicum, Hiſpania Carolum. Sed priuſquàm pergam, monere vos volo quod pro nunc de Pontificia ſuprà Reges & Imperatores poteſtate diſputare non deſidero, cùm etiam vos tantùm tranſeunter inſerueritis Epiſtolæ veſtræ;quamvis non recuſem circà hanc diſputationem vobiſcum in arenam deſcendere, quando eam operoſius, planius, & ad longum deductam propoſueritis, præſertim quæ de Gelaſio I. Gregorio Magno, Nicolao I. &c. hinc indè refers. Sed dùm illum mihi tractatum propoſueritis, nè nimium Regibus adulemini, quamvis propter non adulationem deberetis pati perſecutionem, quia *melius eſt pro veritate pati ſupplicium, quàm pro adulatione beneficium.* 11. q. 3 c. nemo peritorum. Nunc ergò ad ſolam circà Eccleſiaſtica negotia Pontificiam authoritatem me converto.

Diſplicet tibi, Illuſtriſſime Domine, hoc dictum, quo Romanus Pontifex ab univerſali Eccleſia pro ſuo Monarcha haberi pronuntiatur: utque illud deſtruas & oſtendas Eccleſiæ neminem dominari ipſius Chriſti abuteris teſtimonio dicentis Luc. 22. v. 25. *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic.* Sed apertè tibi reſiſtentem textum aſſumis, utpoté, in quo agit Chriſtus de contentione Apoſtolorum inter ſe, *quis eorum videretur eſſe maior?* Tunc Chriſtus reſpondit, Reges gentium dominantur eorum vos autem non ſic, hoc eſt, non tali, non tàm immoderato affectu, ut contentionem inter vos ideò excitare debeatis,ut ideò negligatis humilitatis exercitium honore invicē preveniendo, utque exhortationem ſuam efficaciorem redderet ſemet ipſum in exemplum adducit, & poſteà ſubdit dicens, *qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor; & qui praceſſor eſt, fiat ſicut miniſtrator.* Reflecte benè & noli ignorantiam prætexere, quia Chriſtus ipſe hic ſupremitatem inter Apoſtolos agnoſcit (qualis illa ſit poſteà videbimus) dùm dicit, *qui maior eſt in vobis, qui praceſſor eſt, fiat ſicut minor, fiat ſicut miniſtrator.* Ac ſi diceret non ideò eminentiam veſtram devaſtabitis, nec contemptui eritis expoſiti propter humilitatis exercitium, ſicut nec ego (ſcilicet Chriſtus) *authoritatem Monarchicam* amiſi, nec amitto, dum *in medio veſtrûm ſum, ſicut qui miniſtrat.* ibid. Ecce quomodò proprio ſuo exemplo Apoſtolos hortetur, ut ab affectata ſuperioritate animos ſuos avocent, ita tamen ut illi, qui in externa apparentia, *ſeſe ſicut minores, ſicut miniſtratores exhiberent,* imò & in animo ſeſe tales reputarent agnoſcentes nihilum ſuum, & per conſequens indignitatem ſuam, re ipſâ

Digitized by Google

nihilominus ſuperiores eſſent, & permanerent, ſicut Chriſtus ipſe permanſit, eſto fuerit *in medio ipſorum* ſicut qui miniſtrat: alioquin (ſi hic diſcurſus non placeat Illuſtriſſimo Domino) Chriſtum Dominum qui eſt *Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* pſ. 109. Monarchatu ſuo exſpoliabit ſecundùm inanem & truncatam textûs allegationem in Epiſtola ſua propoſitam.

Et quidem voluntariè & ex profeſſo textum truncatum propoſuiſti, quia totum te legiſſe indicant hæc à te citata verba de Petro *pro quo rogavit Chriſtus ut non deficeceret fides eius*; ex quo trahere fateris D. Steyaert Paſtores & Epiſcopos *reformabiles eſſe à Romano Pontifice.* Benè, optimè: & non ad ad inſipientiam ipſi (Domino Steyaert) ſed quid ad hoc reſpondeas, audiamus. *Grande ſanè*, exclamas, *Petri privilegium! (ſi de ſolius Petri, non etiam de Eccleſiæ cuius Petrus perſonam gerebat, fide, Chriſti verba intelligenda ſint) ſed Petri, non Liberij, non Honorij ipſius ſucceſſorum, quorum alter tædio exilij defecit ad Arianos: alterum, ut Monothelitam damnavit ſexta Synodus AEcumenica: vel ſi errore facti decepta eſt, certè Hæreticum eſſe potuiſſe declaravit.* Rectè divinaſti, quòd grande ſit Petri privilegium, ſed ut illud à ſucceſſoribus Petri auferres, Liberii fingis errorem, & Honorii ſucceſſorum eius.

Atque in primis Liberii errorem fingis, dum nihil niſi exilii tædium in probam profers, quo ad Arianos defeciſſe exprobras: ſed immeritò: volve, & revolve ſincero & non præoccupato ſpiritu: traditum habemus, & reperies (ut refert Nicephorus l. 9. c. 37.) quòd illo tempore, quo Arianorum hæreſis graſſabatur, Liberius promulgavit fidei formulam, in qua anathematizat eos qui Filium Patri *conſubſtantialem* negabant. In quo itaque erravit Liberius? an ſubſcribendo Confeſſioni Sirmienſi? quid indè? quid ibi fidei contrarium? an ignoras Hilarium illam in ſenſu Catholico explicaſſe: fateor quidem, quòd vox *Homouſion* in illa Confeſſione expreſſè non præſcribatur, ſed indè non ſequitur, quòd in eadem Confeſſione eadem vox negetur. An ergò erravit ſubſcribendo Athanaſii damnationi? non hic erat materia fidei, ſed cauſa perſonalis. Manet itaque Liberius Arianus accuſatus, ſed non probatus.

Sed Honorium quis ſalvabit ab hæreſi? omnis ille, qui eum in Romana Sede Petri ſucceſſorem extitiſſe credunt, ſi quidem *hæc Sancta, & Apoſtolica Mater omnium Eccleſiarum Chriſti Eccleſia, quæ per Dei Omnipotentis gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur, nec hæreticis novitatibus depravata ſuccubuit, ſed ut in exordio fidei Chriſtianæ percepit ab authoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti Principibus, illibata finetenùs manet*, 24. q. 1 c. à recta. Non ergò fuit Monothelita, qui præſedit *in ſede Apoſtolica*, in qua *extrà maculam ſemper eſt Catholica ſervata Religio.* 24. q. 1. c. nec illum (ut ais) *ut Monothelitam damnavit ſexta Synodus Accumenica, vel ſi errore facti decepta eſt, Hæreticum eſſe potuiſſe declaravit.* Priuſquàm hoc oſtendam, reflecto, quòd ipſe quaſi fateri videaris *hoc non fuiſſe conciliariter definitum, cùm nullatenùs diſceptatum, ac deliberatum fuerit, ſintnè inerrantes Romani Pontifices, an poßint errare.* Et reſ-

ponde

Digitized by Google

pondes: *ita ſit*: ſed hoc quod ſubdis facilè ſolvitur argumentum, ſubjungis enim : *ſed cùm nunquàm hoc in controverſiam fuiſſet adductum, indè colligitur* (ſed futiliter & erroneè) *ſemper Romanum Pontificem , ſicut & cæteros homines, habitum fuiſſe erroi obnoxium.* Sed hoc argumentum mihi vitioſum videtur. Quomodò enim ex non diſceptatione, ac non deliberatione , an Pontifices poſſint errare, nec nè, colligatur eos eſſe errori obnoxios, nòn video , & lubentiſſimè diſcam. Quia ſi hoc ſequatur quomodò non eàdem facilitate probabo Gilbertum Epiſcopum Tornacenſem modernum Hiſpaniarum Regem eſſe ? quid vetabit hoc probare argumentum ? *Numquàm in controverſiam adductum fuit , an Gilbertus Epiſcopus Tornacenſis modernus ſit Rex Hiſpaniarum: indè colligitur Gilbertum Epiſcopum Tornacenſem modernum eſſe Regem Hiſpaniarum* (verba veſtra cum proportione formavi) quis non neget hanc meam conſequentiam : judicent ergò etiam omnes de tua.

Hæc tranſeunter dicta ſint. Nunc ad propoſitum : præterquàm quòd ipſemet fateri videaris definitionem circà Honorii hæreſim (ut fingis) non eſſe conciliariter factam : hoc ipſum probat ipſum Concilium , dum Agathonis Pontificis ad Cæſarem epiſtolam approbat actione 4. in qua reperitur ſcriptum *conſideret itaquè veſtra tranquilla Clementia, quoniam Dominus & Salvator omnium, cujus fides eſt, qui fidem Petri non defecturam promiſit, confirmare eum fratres ſuos admonuit ; quòd Apoſtolos Pontifices meæ exiguitatis Prædeceſſores confidenter feciſſe cunctis eſt cognitum.* Et inter hos prædeceſſores fuit *Honorius.* Quomodò ergò eum damnavit ſancta Synodus ? an forſan actione 8. in quà relecta eſt ſuggeſtio Agathonis Papæ prius in Synodo Romana ab ipſo Agathone & 125. Epiſcopis ſubſcripta, in qua omnium voces unanimiter eructant , *credimus , ô Imperatores , quia quòd paucis raroque conceſſum eſt à Deo , coronato veſtro Imperio divinitùs concedetur , ut per Catholicæ atque Apoſtolicæ veræ noſtræ fidei ſplendiſſimum in omnium mentibus emicet lumen , quod ex veri luminis fonte , tamquàm de radio vivifici fulgoris, per Miniſtros B. Petrum, & Paulum Apoſtolorum Principes, eorumque Diſcipulos , & Apoſtolicos ſucceſſores* (nota benè quia inter hos fuit & *Honorius*) *gradatim uſquè ad noſtram parvitatem Dei opitulatione ſervatum eſt, nullâ hæretici erroris tetrâ caligine tenebrarum, nec falſitatis nebulis confœdatum, nec intermiſtis hæreticis pravitatibus, velut caliginoſis nebulis perumbratum, piiſſimis conatibus conſervare cupit, veſtrùm à Deo coronatum faſtigium.* Nec hic condemnatur *Honorius.* Oſtendas ergò, in quo ſibi contradicat Aecumenicum Concilium : ſed cave erroneos ex Græcorum odio confectos Trullanos Canones proferre. Rectè itaque exclamaſti *grande ſanè Petri privelegium !* addo ego & Succeſſorum eius, *pro quo,* & quibus *rogavit Chriſtus, ut non deficeret fides eius,* & eorum, & mandavit, ut *aliquandò converſus,* & converſi , *confirmet fratres ſuos.* Luc. 22. quomodò alios confirmabit Petrus, omniſque eius ſucceſſor, ſi ipſemet Petrus ſingulusque eius ſucceſſor non habeant in ſe ſoliditatem ? niſi forſan dicere malis Chriſtum in mandando erraſſe : ſed hoc reſponſum à plebeio nequa-

Digitized by Google

quam, multò minùs ab Illuſtriſſimo exſpectarem: ſed fortè repones adhuc mihi probandum reſtare hanc prærogativam non deficiendi in fide, alioſque infalibiliter confirmandi Petro ejuſque ſucceſſoribus ex Domini promiſſione competere. Rectè monuiſti: ideoque probas irrefragabiles excipies per totam meam epiſtolam.

Admittis quidem Petri primatum, ſed non eſſe ab omni errore immunem aſſeris, & probas ex hoc, quòd *reſtitit ipſi in faciem Paulus, quia irreprehenſibilis erat*. Sed nihil probas ad intentum ſubjectæ materiæ: quis enim noſtræ ſententiæ irreprehenſibilem umquàm prædicavit Pontificem: certè nullus. Sed quia irreprehenſibilis erat Petrus, non ideò deſtitutus fuit Pontificiâ in docendo authoritate, in qua *irreprehenſibilis, irreformabilis, & infalibilis eſt*, fuit ſemper, & erit uſque in finem mundi cum omnibus ſucceſſoribus ſuis. Diſtingue irreprehenſibilitatem in elucidandis myſteriis Fidei, ab irreprehenſibilitate in exercitio aliarum virtutum: & primam (ut decet Pontificium Principem) omni niſu & ſtudio adſcribas Pontifici, quia, ex S. Petri Chryſologi ſententia, *manifeſtâ luce reſerat ſacrorum voluminum myſticas quæſtiones*. ſerm. 107. Nec immeritò dixit Chryſologus quòd *manifeſtâ luce* explanet ſacrorum voluminum quæſtiones, quia *non puri hominis, ſed veri dei vices gerit in terris.* de tranſl. præla. c. quantò. Secundam autem nec nos ipſi attribuere volumus, ſcientes etiam ſepties de die Juſtum cadere.

Sed nonnè poteſt (inquis Illuſt. D.ne) *Romanus Pontifex de omnium Chriſtianorum fide, & moribus cognoſcere? Poteſt: ſed poſt ejus judicium reſtare adhuc docet Auguſtinus plenariam univerſæ Eccleſiæ Concilium, in quo iterum cauſa poſſit agitari. Agebatur, cùm hoc ſcribebat Auguſtinus de judicio Melchiadis Papæ, qui cum aliorum Epiſcoporum concilio Romæ damnaverat Donatiſtas. qui Catholicos, quos exiſtimabant traditorum conſortio pollutos denuò baptizabant.* Non ſic te docuit Auguſtinus. Eum lege attentè, & veſtrum cognoſces errorem: pàce veſtrâ dixerim (Illuſt. D.ne) dum dixit Auguſtinus poſt judicium Papæ *reſtare adhuc plenarium univerſæ Eccleſiæ Concilium, in quo iterùm cauſa poſſit agitari*, non agebatur, ſed àctum erat judicium Melchiadis Papæ de cauſa Donatiſtarum: ſed dum hoc ſcripſit agebatur de cauſa Cæciliani Epiſcopi, *quam* (ut ipſemet Auguſtinus dicit epiſt. 152.) *licet ad ECCLESIÆ cauſam non pertinentem, tamen defendendam ſuſcepimus*. Dicit itaque Auguſtinus hanc Cæciliani cauſam ad *Eccleſiæ* cauſam non pertinere, & iterùm ibidem his verbis, *quam nos ab ECCLESIÆ cauſa diſtinguebamus*, & in illa cauſa poſt judicium Papæ docet Auguſtinus *reſtare adhuc univerſæ Eccleſiæ Concilium, in quo iterùm cauſa poſſit agitari*. Non quidem ut ſententia ejus retractetur vel in dubium revocetur (non enim *de ejus judicio Canones umquam præceperunt judicari, ſententiamque ejus conſtituerunt non oportere diſſolvi, cujus potius ſequenda decreta mandaverunt* 9. q. 3. c. patet) ſed ut cauſam ſuam clarius proponerent ſeque purgarent. Et hoc univerſæ Eccleſiæ Concilii ſcrutinium circà cauſam hanc proponebat Auguſtinus impiis Donatiſtis ut (qui Cæcilianum ex invidia de falſo cri-

Digitized by Google

mine accuſarent, ad gremium revocaret Eccleſiæ nè propter Cæciliani cauſam ſeipſos à communione Fidelium ſeparari paterentur. Audi Auguſtinum Donatiſtas Cæciliani præoccupatos hoſtes alloquentem epiſt. 152. *debent vobis etiam iſta eorum pauca verba ſufficere, nè propter neſcio quæ, neſcio, quorum hominum crimina* (eaque adhuc falſa uti convicti ſunt Donatiſtæ) *oderitis unitatem Catholicæ Eccleſiæ.* Lege & relege utamque epiſtolam 152. 162. & reperies agi non de damnatione Donatiſtarum *circà rem fidei*, ſed de damnatione criminali proditionis falsò impoſitæ Cæciliano & ſociis ejus, & ſimul depræhendes nihil hinc concludi poſſe pro fabiliſtate Pontificis, atque adeò nos meritò gloriari cum eodem S. Auguſtino in eadem epiſtola, manuſque conjungere, *non mediocris authoritatis Epiſcopo, qui poſſet non curare conſpirantem multitudinem inimicorum, cùm ſe videret Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatûs, eſſe conjunctum.* Utinam & nunc Apoſtolicæ Cathedræ principatum confiterentur, omnes Eccleſiæ Principes tam Sæculares, quàm Eccleſiaſtici! faxit Deus! ad rem noſtram tranſeamus.

Scrutemur itaque hæc quæ ſubjungis verba. *Uni Petro dictum eſt à Chriſto Domino, tibi dabo claves regni Cœlorum fateor: ſed ex SS. Patrum ſententia ita uni dictum eſt, ut omnibus dictum eſſe intelligatur.* Sic eſt, Illuſt. D. verum objectas quoad verba, ſed vide utrum SS. Patrum ſenſum aſſequaris. Fateor & ego, ex SS. Patrum ſententia hoc ita unidictum eſſe, ut omnibus dictum eſſe intelligatur. Sed ſi per ly *ita* intelligas, quòd eodem modo aliis hoc dictum ſit, à te diſſentio, quia *quamvis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multique Paſtores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regat & Chriſtus, magnum & mirabile huic viro conſortium potentiæ ſuæ tribuit divina dignatio, & ſi quid commune cum eo cæteris voluit eſſe Principibus, nunquàm niſi per ipſum dedit, quod alijs non negavit.* Ita S. Leo ſerm. 3. in die Aſſump. ſuæ. Vide itaque utrum hujus ſancti Patris aſſecutus fueris ſenſum. Nam ita Petro ſoli dictum eſt *tibi dabo claves regni Cœlorum, ut cùm multa ſolus acceperit, nihil in quemquam ſine illius participatione tranſierit.* ibid. S. Leo. Habent ergò & alii Sacerdotes, Paſtores, Epiſcobi claves regni Cœlorum, ſed participarunt hoc munus à Perro, cujus *tantùm eſt in cœleſtibus magiſterium diſciplinis, ut, qui convertitur, ipſi abſolutionem debeat.* Petrus Chryſol. 107.

Diffiteris, Illuſt. D. ex hoc Chriſti dicto, *tu eſt Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, inferri Petri infalibilitatem: idque ideò, quia S. Auguſtinus docet *petram ſupra quam fundata eſt Eccleſia ipſum eſſe Chriſtum.* Sed ô debile argumentum! ad quid Auguſtinum in hujus rei veritatem teſtem convocas, quia non diſſentiemus Apoſtolo dicenti *petra erat Chriſtus*, qui eſt ita Eccleſiæ fundamentum, ut *nemo aliud poßit ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus* 1. cor. 3. Aperto itaque ore coràm toto mundo profitemur Chriſtum eſſe Eccleſiæ fudamentum, ſed & *B. Petrus IMMOBILE FUNDAMENTUM ſalutis ſe exhibet in Sacerdotio. Ipſe eſt*

Digitized by Google

CUSTOS FIDEI, petra Eccleſiæ janitorque Cœlorum. S. Chryſol. ſerm. 107. Adhereamus itaque Chriſto, nec recedamus à Petro cui dixit Chriſtus *tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus, id eſt cùm ego ſim inviolabilis PETRA, ego LAPIS angularis, qui facio utraque unum, ego fundamentum, præter quod nemo poteſt aliud ponere: tamen tu quoque PETRA ES quia meâ virtute ſolidaris, ut quæ mihi POTESTATE SUNT PROPRIA SINT TIBI MECUM PARTICIPATIONE COMMUNIA.* S. Leo ſerm. 3. in die Aſſump. ſuæ. O inſignem Petri prærogativam! quæ Chriſto *ſunt propria*, ſunt Petro *participatione communia.* Chriſtus eſt Eccleſiæ fundamentum, petra inviolabilis, lapis angularis; eſt id ipſum & *Petrus*; ſed Chriſto eſt *proprium*, Petro *participatione commune.* Vides quàm debile ſit veſtrum argumentum ex Auguſtino depromptum. Rectè itaque dixit Auguſtinus *petram, ſupra quam fundata eſt Eccleſia ipſum eſſe Chriſtum.* ſed erroneè ex hoc concluſiſti alloquens D. Steyaert: *ſanè niſi tibi diſpliceat, Frater Honoratiſſime, S. Auguſtini authoritas, vides ex hoc Evangelij loco, quamvis Petrus maximè commendetur, non ipſi tamen, ſed Chriſto, vel ejus Eccleſiæ infalibilitatem & omnimodam à portis Inferi ſecuritatem eſſe adſcribendam.* Erronèe inquam ex teſtimonio Auguſtini hæc concluſiſti, quia & Chriſto, & Petro, & Eccleſiæ infalibilitas eſt adſcribenda; ſed infalibilitas Eccleſiæ cujus virtute ſtabilis permanet & permanebit in æternum? virtute Chriſti, *cui propria eſt infalibilitas*, & virtute *Petri, cui eadem infalibitas eſt participatione communis:* etenim de Petro dicit Chriſtus *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam: ſuper hanc inquit fortitudinem æternam exſtruam templum: & Eccleſiæ meæ Cœlo inſerenda ſublimitas in hujus fidei firmitate conſurget; hanc confeſſionem portæ Inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt, vox enim iſta, vox vitæ eſt.* S. Leo ibid. Nondum agnoſcis Papæ infalibilitatem ex hoc loco inferri? annè adhuc vocamur Aulici Romani, quia irreformabile Papæ judicium in materiâ Fidei profitemur? adhucnè ſerviliter (ut dicis) adulamur Pontifici? Ergonè ſervilis adulator eſt S. Leo? Talinè ſtigmate inuri mereretur S. Petrus Chryſologus? Fætent hæc verba in ore Chriſtiani: quidquid interim evomant adverſarii mei ego ſemper conſtantiſſimè pronuntiabo, quòd *ſoliditas illius Fidei, quæ in Apoſtolorum Principe eſt laudata, perpetua eſt: & ſicut permanet, quod in Chriſto Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Chriſtus inſtituit.* Sed quid in Petro inſtituit Chriſtus Papa Beatiſſime? *Sic præ cæteris eſt ordinatus, dùm regni Cœlorum janitor conſtituitur, dùm ligandorum ſolvendorumque arbiter MANSURA ETIAM IN COELIS JUDICIORUM SUORUM DEFINITIONE, PRÆFICITUR. qualis ipſi cum Chriſto eſſet ſocietas per ipſa appellationum ejus myſteria noſceremus.* S. Leo ſerm. 2. in die Aſſump. ſuæ. Sed vix avellor ab hoc Sanctiſſimo Patre, lubet itaque ſacratiſſimo illius adhuc intereſſe colloquio. Quæ fuit Petri cum Chriſto ſocietas Papa Sanctiſſimè? tanta fuit, ut *quæ* Chriſto *ſunt propria, ſint* Petro *participatione*

Digitized by Google

cipatione communia. ſerm. 3. O intimam ſocietatem! ſed iterùm tibi moleſtus ſum Pater Sanctiſſime, adhucnè perſeverat illa ſocietas? annè adhuc ſingulis diebus infalibili Petri voce erudimur? *Quotidiè Petrus dicit, & omnis lingua quæ confitetur Dominum* MAGISTERIO HUIUS (ſcilicet Petri) *voce imbuitur. Hac fides Diabolum vincit, & captivorum ejus vincula diſſolvit, hac erutos mundo, inſerit Cælo & portæ Inferi adversùs eam prævalere non poſſunt, tantâ enim divinitùs ſoliditate munita eſt, ut eam neque hæretica umquàm corrumpere pravitas, nec pagana poterit ſuperare perfidia.* ſer2non Eſt ergò humanum Petri miniſterium, non eſt mendax in docendo Petri vox? nequaquam: *vox enim iſta vox vitæ eſt: & ſicut confeſſores ſuos in cæleſtia provehit, ita negatores in inferna demergit* ſerm. 3. Sed numquid hæc omnia de ſolo Petro poſſunt intelligi? annè etiam Succeſſoribus hæc dignitas attribuenda eſt? *In perſona humimilitatis meæ ille intelligatur, ille honoretur* (ſcilicet Petrus) *in quo & omnium Paſtorum ſollicitudo, cum commendatarum ſibi ovium cuſtodia perſeverat, & cujus etiam dignitas in indigno hærede non deficit.* Sic pro ſe reſpondet Papa Sanctiſſ. Leo ſerm. 2. in die Aſſump. ſuæ.

Sed ne ab unius D. Leonis ore pendere videar ſubjungo & alios, qui ex hoc Chriſti dicto *tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, intulerunt ejus infalibilitatem. Cùm enim S. Hieronymo difficilis fidei quæſtio ſuboriretur ſtatim infalibile caput conſuluit & ut tale agnovit: audi ipſum Damaſum alloquentem: *CATHEDRAM PETRI, ET FIDEM APOSTOLICO ORE LAUDATAM CENSUI CONSULENDAM, indè nunc animæ meæ poſtulans* cibum, undè olim Chriſti veſtimenta ſuſcepi. *A Sacerdote victima ſalutem, à Paſtore præſidium ovis flagito. Fatiſcat invidia Romani culminis, recedat ambitio, cum ſucceſſore piſcatoris, & diſcipulo Crucis loquor, ego nullum præmium niſi Chriſtum ſequens, beatitudinis tuæ, id eſt Cathedræ Petri communione conſocior, ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio, quicumque tecum non colligit, ſpargit.* habetur 24. q. 1. c. quoniam vetuſto. Colligamus ergò & nos cum Petro nè indiſſciſſam Domini tunicam diſcerpere, Chriſti vineam ut Vulpes exterminare, nos non colligere ſed ſpargere velle exprobent electi. Adhæreamus infalibili capiti noſtro Summo Pontifici. cujus infalibilitatem idem S. Hieronymus ad Damaſum in expoſitione Symboli ita laudat. *Hæc eſt fides Papa Beatiſſime quam in Eccleſia Catholica didicimus quamque ſemper tenuimus, & tenemus, in qua ſi minus peritè, aut parùm cautè fortè aliquid poſitum eſt,* EMENDARI CUPIMUS A TE, *qui Petri & fidem, & ſedem tenes:* SIN AUTEM HÆC NOSTA CONFESSIO APOSTOLATUS TUI JUDICIO COMPROBETUR (ecce quomodò Hieronymus Papæ judicium æſtimet) *quicumque me culpare voluerit,* SE IMPERITUM VEL MALEVOLUM, VEL ETIAM NON CATOLICUM, NON ME HÆRETICUM COMPROBABIT. Habetur. 24. q. 1. c. hæc eſt fides. Vide an hoc ſolvere poſſis per tuum toties repetitum dictum, quo Papæ defenſores Aulicos Romanos appellas: ſi ego ſic

Digitized by Google

loqueter, ſtatim in me inſurgeres dicendo non meum eſſe aliquos *non Catholicos* declarare ſed; vide quid Hieronymo reponas. Utinam modò ad omnes Antipontifices ſermonem texere liceret, non erubeſcerem proferre illud, quod Marcellus Papa univerſis Epiſcopis per Antiochiam conſtitutis protulit his verbis *non oportet vos proprium derelinquere Patrem* (ſcilicet Petrum) *& alios ſequi, ipſe enim caput eſt eſt totius Eccleſiæ, cui ait Dominus, tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*; (numquid hic iterum ex hoc loco Pontificiam authoritatem concludit?) *nec ab ejus diſpoſitione vos deviare oportet, ad quem cuncta* MAIORA ECCLESIASTICA NEGOTIA *divinâ diſponente gratiâ juſſa ſunt referri, ut ab ea regulariter diſponantur, à qua ſumpsêre principia*. habetur 24. q. 1. c. rogamus. His teſtibus conſentit & S. Auguſtinus ſerm. 16. de Sanctis. *Fidelior factus eſt Petrus, poſtquàm fidem ſe perdidiſſe deflevit, atque ideò majorem gratiam reperit quàm amiſit. Tamquàm enim bonus paſtor tuendum gregem accepit, ut qui ſibi anteà infirmus fuerat fieret* OMNIBUS FIRMAMENTUM, *& quia ipſe interrogationis tentatione nutaverat,* CÆTEROS FIDEI STABILITATE FUNDARET. *Denique pro ſoliditate devotionis Eccleſiarum petra dicitur ſicut ait Dominus, tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*(ecce iterum ex hoc loco ſtabilitam Pontificiam infalibilitatem) *petra enim dicitur eo quòd primus in nationibus fidei fundamenta jecerit, &* TAMQUAM SAXUM IMMOBILE TOTIUS CORPORIS CHRISTIANITATIS COMPAGEM MOLEMQUE CONTINEAT. Numquid igitur D. Steyaert ſanctorum Patrum ſenſum aſſecutus eſt, dum Pontificiam in materia fidei infalibilitatem probavit ex hoc loco Chriſti dicentis *tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*. Alios hujus veritatis teſtes brevitatis ergo omitto, ſed ſi tibi non ſufficiant (ſufficient tamen aliis) plures adhuc præſtò habemus, & dabimus. Puto, quòd ipſe aliquo ſaltem modo præviderís te malè concluſiſſe ex ſuprà citato Auguſtini teſtimonio, ideoque ad aliam expoſitionem (ſed non minus infeliciter) recurriſſe. Itaque examinemus eam.

Promittis *aliam nobis expoſitionem inuere, quæ non magis favet infalibilitati Pontificiæ.* Sed es iterum Aulicus promiſſor tantum nec in uno ſtans verbo tuo. *Probè noſti*, inquis, *pleroſque petram ſuprà quam fundata eſt à Chriſto Eccleſia Petri confeſſionem ſeu fidei profeſſionem intelligere: ita ut fides Chriſtiana, ſicut eſt ex Apoſtolo ſperandarum ſubſtantia rerum, ſic etiam ex SS. Chryſoſthomi, Hieronimi, Ambroſij, Auguſtini, & aliorum explicatione verum ſit Eccleſiæ fundamentum*. Quid ex hoc concludas, vix explicas: ſed ego benè video quid diſcurſui veſtro deſit, ſcilicet, quòd non dicas, quis ſit Eccleſiæ fidei cuſtos, ſicut ego antea ex Chryſologo determinavi. Sed per hoc quod ſubjungis velles quidem Petri infalibilitatem labefactare, nihil tamen in probam adfers dum dicis, *cùm rogavit Chriſtus, ut Petri fides non deficeret, ſic rogavit patrem, ut ea fides ſuprà quam fundata erat Eccleſia, quæ ipſamet erat, quam profeſſus fuerat Petrus ita in Eccleſia eſſet firma, & ſolida, ut portæ Inferi non prævalerent adversùs eam.* Oportebatnè

Digitized by Google

terere tot verba, ut tam apertam veritatem demonſtrares: benè dixiſti probè novi & omnes noverunt Chriſtum tali modo oraſſe & in talem finem, ſed non determinas iterum, ſed non explicas iterum quis illam fidem conſervaret, & infalibiliter tueretur, & in eadem fide irreformbailiter eruidiret, confirmaret, & Chryſologi utar vocabulo (ſicut Petrus fecit, & etiamnùm facit) *manifeſtâ luce reſerat ſacrorum voluminum myſticas quæſtiones* Serm. 107. Hunc fidei Magiſtrum irreformabilem ſi aſſignaſſes non mihi probandum reſtaret. Nos tamen *in memoriam B. Petri Apoſtoli honoremus S. Romanam, & Apoſtolicam ſedem, ut quæ nobis Sacerdotalis Mater eſt dignitatis, eſſe debeat* ECCLESIASTICÆ MAGISTRA RATIONIS. d. 19. c. in memoriam. Ergonè in Eccleſia nulli ſunt præter Petrum Apoſtolorum ſucceſſores fideique magiſtri? ita *Sed hujus muneris ſacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, ut in Beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaret,* UT AB IPSO QUASI QUODAM CAPITE DONA SUA VELUT IN CORPUS OMNE DIFFUNDERET, *ut exortem ſe myſterij intelligeret eſſe divini, qui auſus fuiſſet à* PETRI SOLIDITATE *recedere. Hunc enim in conſortium Individuæ unitatis aſſumptum,* ID, QUOD IPSE ERAT, *voluit nominari dicendo, tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Hæc iterum S. Leo. (*cujus ſententiam quidquid ubiquè Catholicum eſt, velut cæleſte miraculum celebrat, & veneratur oraculum.* c. propter. d. 19.) Et nos itaque qui Catholici ſumus hoc oraculum attentâ mente excipiamus, dum dicit de Petro, *id quod ipſe* (ſcilicet Chriſtus) *erat voluit nominari.* Numquid Chriſtus Doctor infallibilis, irreformabilis? Numquid lapis angularis & Petra fidei? Talis itaque & Petrus, *ut æterni ædoficatio templi mirabili munere gratiæ Dei* IN PETRI SOLIDITATE *conſiſteret, hac Eccleſiam ſuam firmitate corroborans, ut illam nec humana temeritas poſſet appetere, nec portæ contrà illam Inferi prævalerent.* Quid clarius? Sed proh dolor! *hanc petræ iſtius ſacratiſſimam firmitatem, Domino, ut diximus ædificante conſtructam nimis impiâ vult præſumptione violare,* QUISQUIS EIUS POTESTATEM TENTAT INFRINGERE. Hæc omnia habentur c. ita Dominus. d. 19. & in S. Leone epiſt. 89. ad Epiſcopos Viennenſes. Vide quos feriant hæc ultima verba, quia ego nullum cenſurare volo. Sed quantùm ad me attinet, ego à Petro *animæ meæ poſtulans cibum* (S. Hieronymus) IN PETRI SOLIDITATE CONSISTERE, ILLIUS FIRMITATE CORROBORARI (S. Leo) deſidero, & profiteor, quod omnes *majores Eccleſiæ cauſàs* PRÆSERTIM ARTICULOS FIEEI CONTINGENTES, *ad Petri ſedem referendam intelligit, qui eum quærenti Domino, quem diſcipuli dicerent ipſum eſſe, reſpondiſſe notabat, tu es Chriſtus filius Dei vivi, & pro eo Dominum exoraſſe, nè deficiat fides ejus.* de baptiſmo & ejus effectu. c. majores. Sic ergò, Illuſtriſſime Domine, non malè dixiſti dum exclamas *ſanè cùm rogavit Chriſtus, ut Petri fides non deficeret, ſic rogavit Patrem, ut ea fides, ſuprà quam fundata erat Eccleſia, quæ ipſamet erat, quam profeſſus fuerat Petrus. ita in Eccleſia firma eſſet & ſolida, ut portæ Inferi non prævalerent adversùs eam.* Sed inarti-

Digitized by Google

culatam protuliſti ſententiam, nec adæquatam dediſti explicationem ejuſdem textûs, ſiquidem prærer hoc includebat hæc Chriſti oratio adhuc illud ſingulare iam explicatum Petri privilegium,conſervandi, explicandi, &c. fidei documenta, alioſque etiam Apoſtolos in fide ſolidandi. Etenim dum *Diabolus omnes cupiebat elidere, tamen ſpetialis à Domino petri cura ſuſcipitur, & pro fide petri propriè ſupplicatur, tamquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis victa non fuerit. In* Petro *ergò* OMNIUM FORTITUDO MUNITUR, *& divina gratia ita ordinatur auxilium, ut* FIRMITAS, *quæ per Chriſtum* PETRO *tribuitur,* PER PETRUM *Apoſtolis conferatur.* Ita S. Leo Serm. 3. indie aſſumpt. Videſnè nunc utrum Dominus Steyaert aſſecutus ſit SS. Patrum ſententiam? Unde infundatâ auxietate nos moleſtè laturos, & nimis ſcrupuloſè Hieronymo nos ſuccenſuros vereris, dum dicit, quod dictum eſt, ut *ſuper petram fundaretur Eccleſia ita dictum eſt, ut id ipſum in alio loco ſuper omnes alios Apoſtolos fiat, & cuncti claves regni cœlorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſia fortitudo ſolidetur.* l. 1. adverſus Jovinia. Numquid vis eſt in ly ex *æquo*? Sed illâ particulâ benè intellectâ non eſt cur Hieronymo ſuccenſeamus. Ex æquo itaque ſuper omnes Apoſtolos Eccleſiæ fortitudo ſolidatur, hoc eſt Eccleſiæ fortitudo à nullo conſervatur, niſi àb Apoſtolis, Epiſcopis, Paſtoribus, & quibuſvis aliis Eccleſiaſticis, omnes ergò ex æquo, id eſt, omnes ſimul ad Eccleſiæ conſervationem concurrere debent: ſed *qui ſe ſcit àb alijs eſſe præpoſitum non moleſtè ferat aliquem ſibi eſſe prælatum, ipſa namque Eccleſia, quæ prima eſt* (ſcilicet Romani Pontificis, ut patet ex c. præcedenti) *ita reliquis eccleſiis vices ſuas credidit largiendas,* UT IN PARTEM SINT VOCATÆ SOLICITUDINIS, NON IN PLENITUDINEM POTESTATIS. c. qui ſe ſcit. 2. q. VI. Largitur ergò Romanus Pontifex aliis ſeſe inferioribus partem ſolicitudinis ſuæ, ita ut id quod Chriſtus *cum eo commune cæteris voluit eſſe Principibus*, NUMQUAM NISI PER IPSUM DEDERIT, *quod alijs non negavit.* S. Leo Serm. 3. in die aſſumpt. ſuæ. Omnes ergò ligandi & ſolvendi poteſtatem habent, ſed *manet* Petri *Privilegium, ubicumquè ex ipſius fertur æquitate judicium, nec nimia eſt vel ſeveritas vel remiſſio, ubi nihil erit ligatum, nihil ſolutum, niſi quod B.Petrus* AUT SOLVERIT AUT LIGAVERIT. 24. q. 1. c. manet. Non quod perſonaliter Petrus vel ejus ſucceſſor ſolvere vel ligare debeat, ſed quidquid ſolvitur vel ligatur ab aliis, ab ipſo poteſtas participari debeat, ita ut *cùm multa ſolus acceperit, nihil in quemquam ſine illius participatione tranſierit.* Leo ibid. Numquid hos Canones & SS. Patres cum Hieronymo concordabis, dum in eodem contra Jovinianum libró Petrum non ſolum Eccleſiæ Petram, *ſed Chriſti petram* ab eodem Hieronymo appellari legeris? Videas ergò quàm infelix ſis in SS. Patribus citandis.

Occaſione duorum coralliorum quæ ſubjungis, aliquid de Pontificia ſuprà Epiſcopos poteſtate ſubdam, ut omnes intelligant quo ſenſu illa quæ in illis corollariis habes, intelligenda ſint, quia videris non audere proferre veſtram ſententiam. Ego

autem

Digitized by Google

autem non niſi Traditiones Apoſtolicas, ac Canonum Sanctiones proferam, & de Papæ authoritate ſupra Epiſcopos indubitatam dabo fidem. Ac in primis noverunt omnes Papam Romanæ *non ſolùm ſedis præſulem, ſed & omnium Epiſcoporum noverunt eſſe primatem.* S. Leo ſerm. 2. in die Aſſump. ſuæ. Nec immeritò, *quoniam nec inter Apoſtolos par fuit inſtitutio, ſed unus omnibus præfuit.* d. 80. c. in illis. Sed & omnes Epiſcopos conſtituere prærogativa eſt Pontificis ab ipſo Petro continuâ traditione deſcendens. Etenim, *quis neſciat aut non advertat, id quod à Principe Apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, ac nunc uſque cuſtoditur, ab omnibus debere ſervari? nec ſuperinduci aut introduci aliquid, quod aut authoritatem non habeat, aut aliundè videatur accipere exemplum? præſertim cùm ſit manifeſtum, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam atque Siciliam Inſulaſque interjacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos venarabilis Apoſtolus Petrus, aut ejus Succeſſores conſtituerunt Sacerdotes: aut legant, ſi in iſtis provinciis alius Apoſtolorum invenitur, aut legitur docuiſſe. Quòd ſi non legunt, quia nuſquàm reperitur, oportet eos hoc ſequi, quod Eccleſia Romana cuſtodit, à qua eos principium accepiſſe non dubium eſt: nè dùm peregrinis ſermonibus ſtudent, caput inſtitutionum videantur omittere.* d. XI. c. quis. Hic Canon multa continet, quæ intelligentes verba, & ſignantes myſteria ſatis intelligent: verumtamen quia Illuſtriſſimus Dominus non ita apertè ſuam protulit ſententiam, ideò ego myſteria nullatenus detegere volo. Capin? itaque *in memoriam B. Petri Apoſtoli honoremus S. Romanam & Apoſtolicam ſedem, quæ nobis Sacerdotalis Mater eſt dignitatis.* d. 19. c. in memoriam. Ideoque (Epiſcopos alloquor) *juſtum eſt ut, vos quoque ſedi Apoſtolicæ ſubjectionis debitæ ſigna ſolvatis, quæ vos cum B. Petro tamquam membra de membro* (reflecte benè) *Catholici capitis unitatem ſervare declarant.* de elect. c. ſignificaſti. Quæ ſunt illa ſigna ſubjectionis? *juramentum pro fide, pro obedientia, pro unitate requirere.* Sed nota benè, quòd aliqui Epiſcopi hoc dedignabantur præſtare cauſantes *hoc in Conciliis ſtatutum non inveniri.* Sed reſpondebatur ipſis, quòd numquam ROMANÆ ECCLESIÆ LEGEM CONCILIA ULLA PRÆFIXERINT, CUM OMNIA CONCILIA PER ROMANI PONTIFICIS AUTHORITATEM, ET FACTA SINT (iterùm nota benè) ET ROBUR ACCEPERINT, ET IN EORUM STATUTIS ROMANI PONTIFICIS PATENTER EXCIPIATUR AUTHORITAS. Ergonè Pontifici major obedientia debet ab Epiſcopis jurari quam Conciliis ſine Pontifice congregatis ſi ad Concilium venire renuat? ſi poſſis ex hoc Canone aliter me docere, lubenter diſcam. Hæc per tranſennam: ad authoritatem Pontificis ſupra Epiſcopos redeamus: quis de Eccleſiâ in Eccleſiam transfert Epiſcopos? Hanc POTESTATEM TRANSFERENDI PONTIFICES, *ita ſibi retinuit Dominus & Magiſter, quod ſoli B. Petro & Vicario ſuo & per ipſum Succeſſoribus ſpeciali privilegio tribuit, & conceſſit: ſicut teſtatur* ANTIQUITAS, CUI DECRETA PATRUM SANXERUNT REVERENTIAM EXHIBENDAM, *& evidenter aſſerunt* SACRORUM CANONUM SANCTIONES, *Non enim homo ſed Deus ſeparat, quos* ROMAN-

Digitized by Google

us PONTIFEX (*qui non puri hominis , ſed veri Dei vicem gerit in terris) Eccleſiarum neceßitate, vel utilitate penſatâ,non humanâ,ſed divinâ potius auctoritate diſſolvit*.de tranſl. c. quanto. Hæc pro ſpeculativis adducta ſint. Videte Ibid. c. inter corporalia, & c. cum ex illo. Dum vos hæc ſpeculatione veſtrâ exhauritis ego cum Illuſtriſſimo colloquar.

Itaque, Illuſ. D. quidquid tangens Reges, Imperotores, vel Principes ſæculares in Epiſtolâ veſtrâ attuliſti, nullatenus tangam, quia alias de hoc tecum decertabo; pro nunc autem prælibare poteris , quòd *nemo judicabit primam ſedem juſtitiam temperare deſiderantem, neque ab Auguſto , neque ab omni Clero, neque à regibus , neqne à populo judex judicabitur*. 9. q. 3. c. nemo. hæc prò nunc ſufficiant. Ad primam veſtram pervenio quæſtionem.

Utrum ſi evocato ſummo Pontifice tota Eccleſia per Æcumenicam Synodnm exhibita communibus , vel certè numero vincentibus votis alicui , quæ ad fidem vel legem divinam, naturalemvè ſpectet, doctrinæ adhæreat , teneatur iſpe Petri ſucceſſor ejus decreto ſeſe ſubmittere : an poßit pro ſumma ſua authoritate ac infalibilitate decernere, ac totam Synodum, atque adeò univerſam Eccleſiam in captivitatem redigere in ſui decreti obſequium. Hanc quæſtionem jam ſatis tetigi & reſolvi,ſed quia tibi abundantiſſimè ſatisfacere deſidero, ex innumeris aliquas producam ulteriores probas, quibus ſolius Pontificis dogma irreformabile oſtendam, quia *ſi Romanorum Pontificum decreto cæterorum opuſcula tractatorum approbantur, vel reprobantur, ita ut* QUOD SEDES APOSTOLICA PROBAVIT, HODIE TENEATUR ACCEPTUM, ET QUOD ILLA REPULIT HACTENUS INEFFICAX HABEATUR, *quantò potius, quæ iſpa* PRO CATHOLICA FIDE, PRO SANIS DOGMATIBUS, *pro varijs, & multifarijs Eccleſiæ neceßitatibus , & fidelium moribus diverſo tempore ſcripſit , omni debent honore præferri, & ab omnibus prorſus in quibuſlibet opportunitatibus diſcretione vel diſpenſatione magiſtrâ reverenter aſſumi ?* d. 19. c. ſi Romanorum. Numquid hujus Canonis miraris efficaciam ? Sed deſiſtes mirari cùm & hunc perlegeris, QUOTIES FIDEI RATIO VENTILATUR , *arbitror omnes fratres , & Coepiſcopos noſtros , non niſi ad Petrum , id eſt ſui nominis & honoris authorem referre debere , quod per totum mudum poßit* ECCLESIIS OMNIBUS IN COMMUNE PRODESSE. 24. q. 1. c. quoties. *Si per totum mundum poßit Eccleſiis omnibus in commune prodeſſe* Pontificis definitio, quomodò falibilis eſſe poteſt ? Sed ſcio quòd unius Canonis auctoritas non obſtruet os contradicentis. Ideoque legas & hunc Pontificis decreta ſeu deciſiones infalibiles enuntiantem , *ſi qua cauſa vel criminis vel* FIDEI *potuerit evenire, huc ad Apoſtolicam ſedem, ſi ardua eſt deducatur , quatenus noſtræ audientiæ* SENTENTIA DECIDATUR , *quòd ſi contra hæc, quæ ſtatuimus, quolibet tempore ſeu qualibet occaſione, vel ſurreptione venire tentaveris, ſacrâ ſcias te communione privatum.* is. q. 1. c. frater noſter. Profectò ſi tanta ſit Pontificis decidentis cauſas fidei authoritas, obtemperemus ei , ut tantum excommunicationis fulgur effugiamus. Hinc Gregorius poſtquam Pontificiâ authoritate Hæreſis eſſet exſtincta

Digitized by Google

admirabundus exclamat, *cùm liqueat hanc Hæreſim antè omnes à radice peſtifera ſubrepſiſſe, atque in ipſa origine ſua Apoſtolicâ eſſe deteſtatione damnatam, cur non cavetur?* 1. q. 1. c. cùm liqueat. *Enimverò, quia in ſpeculum, & exemplum ſancta Romana Eccleſia, cui nos Chriſtus præeſſe voluit, propoſita eſt: ab omnibus quidquid ſtatuit, quidquid ordinat, perpetuò, & irrefragabiliter obſervandum eſt.* d. 19. c. enimverò. Quare autem irrefragabiliter obſervanda ſint Pontificum etiam in materia ſidei ſtatuta ratio datur. c. de præceptis, QUIA OMNIS S. RELIGIONIS RELATIO AD SEDEM APOSTOLICAM, *quaſi ad Caput Eccleſiarum debet referri, & indè normam ſumere, undè ſumpſit exordium, nè Caput inſtitutionis videatur omittere. Cujus autoritatis ſanctionem omnes teneant Sacertes, qui volunt ab Apoſtolicæ Petræ, ſuper quam Chriſtus univerſalem fundavit Eccleſiam, ſoliditate divelli.* Sicnè regit & conſervat Eccleſiam irrefragabilis Petri Succeſſor ut ab Apoſtolicæ Petræ, ſuper quam fundavit Chriſtus univerſalem Eccleſiam unitate divellantur, quicumque ejus decreta non venerantur? Sic loquitur Canon: etenim HÆC APOSTOLICA SEDES CARDO *& Caput omnium Eccleſiarum à Domino, & non ab alio eſt conſtituta, & ſicut cardine oſtium regitur; ſic hujus S. ſedis auctoritate omnes Eccleſiæ Domino diſponente reguntur.* d. 22. c. ſacroſancta. Bone Deus! quàm hic cogor mirari quorumdam Antipontificum amentiam (utinam non malevolentiam) dùm dicunt Pontificem eſſe falibilem, qui ſedem (& quidem Domino diſponente) adeptus eſt, quæ dicitur *Cardo & Caput omnium Eccleſiarum*, cardo inquam, per quem, *ſicut Cardine oſtium regitur ſic hujus S. ſedis auctoritate omnes Eccleſiæ (Domino diſponente) reguntur.* O inſanabilem illorum cæcitatem! Si videre non potueritis præ cæcitate, aures erigite, & nolite obdurare corda veſtra, quia dicitur *Hujus S. ſedis auctoritate omnes Eccleſiæ, Domino diſponente, reguntur, ſicut cardine oſtium regitur.* Vix Domino diſponenti ſuccenſere audebitis. An forſan Dominò diſponenti obtrudere non verebimini, quod cardinem putridum, labefactabilem, & labilem Eccleſiæ ſuæ affixerit? abſit, quia ſic contra Domini effatum *portæ inferi prævalebunt adverſus eam.* Agnoſcite ergo ſedem Apoſtolicam omnium aliarum Eccleſiarum rectricem infalibilem, illabefactabilem & illabilem. Ne prolixior ſim ad veſtra argumenta, quibus his probatis contradicere intendis reſpondeo. Quæ in lucem profers ex actorum 1. 6. & 15. quid aliud ſonant, quam quod Pontifex poſſit convocare concilium, ſuffragia expetere, & Patrum convocatorum animos explorare? Sed quid inde? Numquid ideo auctoritate ſuâ infalibili caret Pontifex? Reſpondeat ad hoc tyro, quia errare nequaquam poteſt. Et ideo tranſeo ad hoc, quod recitas ex actorum 8. ubi dicitur *cùm enim audiſſent Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quod recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Joannem.* Ex quo loco congregatorum Apoſtolorum ſupra Petrum eminentiam colligis, ſed fefellit te tua opinio. Non enim miſerunt Apoſtoli Petrum præcipientes, ſed ex communi conſilio perſuadentes, ut major eorum authoritas noviter converſos magis confirmaret. Imo hoc magis confirmat Chriſti ad

Digitized by Google

Petrum effatum, *& tu aliquando converſus confirma Fratres tuos*, uti hic fecit Petrus. Hæc leviter tango, quia levioris ſunt momenti. Unde, quod Petrus aliquando non fuerit uſus ſuâ poteſtate, non arguit eum non habuiſſe, adeoque ex hoc iterum non recte ſupponis Apoſtolos congregatos in Petrum exercuiſſe authoritatem. Unde ſine fundamento laudas *novem, vel fere undecim ſæculorum Pontifices*, tamquam tuæ circa Concilii ſupra Pontificem auctoritatem ſententiæ Patronos. Utque omnium circa hanc ſententiam mentem pandas unum producis Gelaſium I. pro omnibus loquentem, qui ſuorum (ut ais erronèe) Majorum veſtigiis inhærendo aperto ſinceroque ore pronuntiat *Unuſcujuſque Synodi conſtitutum, quod univerſalis Eccleſia probarit aſſenſus, non aliquam ſedem magis exequi debere quam primam.* c. confidimus. 25. q. 1. ô infelix aſtutia! ſiccinè imponere niteris ei, quem ſcis ſacros codices

NOCTURNA VERSARE MANU, VERSARE DIURNA.

nonne prævidiſti quod Canonem illum luce clarus tibi adverſarii demonſtrabit Dominus Steyaert? Non truncatis, ſed integris apud Lovanienſes Doctores convincuntur argumentis: ſi alibi truncatis textibus argumentari & evincere ſine ullâ diſcuſſione permiſſum eſt, ibi ſiniſtras opiniones egredi neceſſe eſt. Lege itaque immediate ſequentia verba, quæ hic ſubiicio. QUÆ UNAMQUAMQUE SYNODUM SUA AUTHORITATE CONFIRMAT, ET CONTINUATA MODERATIONE CUSTODIT. Numquid hæc ſunt verba Pontificis ſupra Concilia triumphantis? Et quamvis hæc verba clariſſima ſint, omnibuſque veritatis amatoribus ſufficere deberent, tamen ea irrefragabiliter confirmemus. Quomodo prima ſedes ſeu Summus Pontifex *Unamquamque Synodum ſua authoritate confirmat*? Audi non meam ſed Canonico juri inſertam Julii I. ſententiam *Canonibus racipientibus ſine ejus* (ſcilicet Pontificis) *uthoritate Concilia fieri non debere*, NEC ULLUM RATUM EST, AUT ERIT UMQUAM CONCILIUM, QUOD NON FULTUM FUERIT EJUS AUTHORITATE d. 17. c re.. Hæccine ſolius Julii, ſententia? Nequaquam: quia dicitur *Canonibus pracipientibus*. Anne ſolis Canonibus præcipientibus hæc veritas comprobatur? Minime ſed MULTIS APOSTOLICIS ET CANONICIS, ATQUE ECCLESIASTICIS INSTRUIMUR REGULIS, *non debere alſque ſententiâ Romani Pontificis Concilia celebrari.* Et quare hoc? quia *majores & difficiliores quæſtiones (ut S. Synodus ſtatuit & beata conſuetudo exigit) ad ſedem Apoſtolicam ſemper referantur*, oportet. Sic habetur d. XVII. c. multis. Vidiſti Pontificem Concilia ſuâ authoritate confirmantem, videas nunc eadem continuâ moderatione cuſtodientem QUOTIES ALIQUA DE UNIVERSALI SYNODO ALIQUIBUS DUBIDUBITATIO *naſciur, ad rdcipiendam de eo, quod non intelligunt, rationem, aut ſpontè ij qui ſalutem animæ ſuæ deſiderant*, AD APOSTOLICAM SEDEM PRO RECIPIENDA RATIONE

Digitized by Google

RATIONE CONVENIANT. d XVII. c. nec licuit. Quid clarius? numquid univerſali Concilio ſuperior eſt, qui dubia de univerſali Synodo definiente orientia tantâ auctoritate reſolvit, imo & ſpontè ad ſe venientes tantâ infalibilitate erudit, ut ad animæ dubitantis & ſpontè venientis ſalutem proſit? accedant ergò omnes hunc infalibilem fidei Doctorem, ipſius reſolutionibus acquieſcant, & ſi fortè aliqui ſint, *qui ita obſtinati & contumaces extiterint, ut doceri non velint, eos ab eiſdem Apoſtolicis ſedibus aut trahi ad ſalutem quoquo modo neceſſe, aut nè aliorum perditio eſſe poſſint*, SECUNDUM CANONES *per ſaculares comprimi poteſtates.* Papæ! ergonè tanta eſt Papæ in docendo infalibilis authoritas, ut, qui ipſum conſulit, in captivitatem redigere intellectum ſuum in obſequium Pontificis debeat, nè aliorum perditio eſſe poſſit, & ſecundùm Canones per ſæculares comprimi poteſtates? quid ergò fiet manifeſtè Pontifici denegantibus hanc in docendo authoritatem? quid futurum ſit neſcio, ſed quod ſcriptum eſt, propono. *Omnia decretalia, & cunctorum deceſſorum noſtrorum conſtituta, quæ* DE ECCLESIASTICIS ORDINIBUS ET CANONUM PROMULGATA SUNT DISCIPLINIS *ita à vobis, & ab omnibus Epiſcopis, ac cunctis generaliter Sacerdotibus cuſtodiri debere mandamus, ut ſi quis iu illa commiſerit, veniam ſibi deinceps noverit denegari.* Sic ſcriptum eſt 25. q. 1. c. omnia. Hæc omnia dicta ſint occaſione Gelaſii Papæ quem manifeſtè oſtendi tibi adverſari in eodem, quem citas, loco. Et propter ſimile dictum undecim ſæculorum Pontifices vel invitos ad ſententiam tuam trahis? vel invitos dico, & probo, dum unicum Gelaſium non ſolum non favere, ſed & reſiſtere oſtendi, quia cum aliorum Pontificum mentem per Gelaſii verba quaſi aliorum Pontificum opinionem continentiâ exprimas, cumque Gelaſius ab opinione tua ſit alienus, omnes alios tibi etiam adverſari neceſſe eſt. Verumtamen ingenuè fateor, quòd Pontifices etiam Canonibus ab univerſali Eccleſia in Concilio congregata conditis, & à ſe confirmatis, parere teneantur, ſi ſint Canones de Dogmatibus fidei, & declarantes rem aliquam eſſe de fide, quia quod ſemel eſt fidei oraculum, per Concilium Pontifice non ſolum præſidente, ſed & ſuâ authoritate confirmante, declaratum, tale manet ligatum & in Cœlis, nec ſpectat ad Pontificem deſtruere hoc Spiritu S. inſpirante & per Pontificis os definiente effatum fidei Dogma, ſiquidem ait Gregorius, *ſi ea deſtruerem, quæ Anteceſſores noſtri ſtatuerunt, non conſtructor, ſed everſor eſſe juſtè comprobarer teſtatante veritatis voce, quæ ait omne regnum in ſe diviſum non ſtabit, & omnis ſcientia, & lex adverſum ſe diviſa deſtruetur.* 25. q. c. ſi ea deſtruerem. Sed ſi Canones Conciliorum ſint circa res aliquas ad decens Eccleſiæ gubernium, tunc ſicut circumſtantiæ poſſunt mutari, ſic & ſolus Pontifex (cùm *ſedes Apoſtolica ſuperior his omnibus favente Domino* exiſtat, ut habetur de conſecrat. d. 1. c. baſilicas) in his diſpenſare poteſt, nec tenetur ſeſe Canonibus conformare, ut teſtatur Innocentius de elect. c. innotuit. his verbis, *quamvis autem Canon Lateranenſis Concilij ab Alexandro prædeceſſore noſtro, editus non legitimè genitos adeò perſequatur, quod*

Digitized by Google

electionem talium innuit nullam eſſe, nobis tamen per eum adempta non fuit deſpenſandi facultas, cùm non fuerit prohibentis intentio : qui ſucceſſoribus ſuis nullum potuit in hac parte præjudicium generare, pari poſt eum (imò eâdem , poteſtate functuris], cùm non habeat imperium par in parem. Sic & alios Pontifices feciſſe Eccleſiæ membris non contradicentibus ex multis caſibus conſtat. Et ſi hoc eis non liceret , quomodò modò poſſet eſſe tantum in Germania gaudium ? capin ? numquid ab actu ad potentiam valet conſequentia ? ex dictis collige quomodò nobis impoſueris dicendo *Si Eccleſia dogmata authoritate Pontificiâ poſſunt reformari, peccare poteſt, falli poteſt , mentiri poteſt Eccleſia.* Ex dictis & dicendis colliges quàm falſum ſit quod dixiſti *D. Steyaert tam longè à SS. Patrum ſententia recedere , imò & ab ipſorum Summorum Pontificnm doctrina, cùm univerſi ſe Canonibus obnoxios eſſe crediderint.* Colliges inquam quo ſenſu hoc falſum ſit. At objicies, Pontifices ſeſe præſentarunt Conciliis, ut à criminibus impoſitis ſe purgarent , ergò Concilium eſt ipſorum ſuperior. Sed negatur conſequentia, quia dum hoc fecerunt Pontifices non coacti, ſed ſpontè, ex humilitate, ex prudentia hoc fecerunt , ut melius ſcandalum tolleretur , quod indè in Eccleſia oriebatur, imò & nullatenus ſe ad hoc teneri , nec ad Succeſſores ſuos hoc per conſuetudinem devolvi poſſe profeſſi ſunt, dum hoc fecerunt. Audi Leonem 2. q. V. c. auditum eſt. *Quamobrem ego Leo Pontifex S. Romanæ Eccleſiæ purifico me in conſpectu veſtro coram Deo & Angelis ejus quia iſtas criminoſas , & ſcelaratas res , quas illi mihi objiciunt , nec perpetravi, nec perpetrari juſſi. Hoc autem faciens* , NON LEGEM PRÆSCRIBO CÆTERIS, QUA ID FACERE COGANTUR: vide ibid. c. mandaſtis : Itaque manifeſtum eſt Pontifices nec Canonibus , nec Conciliis ſubjici ; ſed quia res majoris momenti eſt, quàm ut ſic deſeratur ad ulteriores probas me converto.

Sed prius quærenti tibi probationem , circa authoritatem Concilii tempore ſciſmatis ad deponendum Pontifices aliaque ſtatuenda , & quomodò illam non habeat tempore indubitati Pontificis, reſpondeo, quòd ultimum mox probabo : ſed primum nnnc probo ex c. ſi duo d. 79. *Si duo fortè contra fas temeritate concertantium fuerint ordinati, nullum ex his futurum penitùs Sacerdotem : illum ſolum in fide Apoſtolica permanſurum, quem numero Clericorum , novâ ordinatione divinum judicium ; & Univerſitatis conſenſus elegerit.* Hanc authoritatem ille tribuit Concilio legitimè congregato, & viſibiliter tunc Eccleſiam repræſentanti , Chriſtoque inviſibiliter præſidente , qui non eſt fallax in promiſſis ſuis , quæ fecit Eccleſiæ ſponſæ ſuæ , quam acquiſivit ſanguine ſuo, dum dixit , *ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Matth. 18. Sed Concilium non eſt in nomine Chriſti congregatum , ubi deeſt ille , qui eſt petra Eccleſiæ per participationem , ſicut eſt Chriſtus per proprietatem , ubi deeſt , qui cum Chriſto *conſortium meretur nominis* (ſcilicet Eccleſiæ petræ) *qui conſortium meretur & operis. In eadem domo* (ſcilicet Eccleſiâ) *Petrus fundamentum ponit, Petrus plantat.* Aug. ſerm. 16. de Sanctis. Si, inquam , ille deſit tem-

Digitized by Google

pore indubitati Papæ Concilium acephalum eſt, utpotè cùm deſit ille qui juxta Auguſtinum Eccleſiæ fundamentum ponit. Numquid ſi tollas fundamentum tollis ædificium ? quid ni & ruet Eccleſia ſi ejus fundamentum tollatur.

Vix diffiteberis, Ill. D. ſi probavero Summum Pontificem poſſe Concilia congregare, diſſolvere, transferre &c. Vix diffiteberis, inquam, eum eſſe Conciliis ſuperiorem. Numquid hoc clarè definitum habemus in Concilio Lateranenſi ultimo ſub Leone X. ſeſſ. 11. dicente *ſolum Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, tamquam* AUTHORITATEM SUPRA OMNIA CONCILIA HABENTEM, CONCILIORUM INDICENDORUM, TRANSFERENDORUM, AC DISSOLVENDORUM *plenum jus ac poteſtatem habere, nedum ex ſacra ſcriptura teſtimonio, dictis SS. Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum etiam Prædeceſſorum noſtrorum, ſacrorumque Canonum Decretis, ſed propriâ etiam eorumdem Conciliorum confeſſione manifeſtè conſtat.* Ad hæc reſpondes *audenter dicam, nullum poſſe proferri Decretum, quod ſit concilialiter editum, poſt exquiſita ſcilicet Patrum vota, inſtitutamque deliberationem.* Atque adeò hanc reſponſionem etiam huic Decreto adhibes : ſed reflecte benè an non fuerit hoc decretum editum poſt inſtitutam deliberationem & maturi ſenſûs ſcrutinium. Dicit Decretum *ex ſacræ ſcripturæ teſtimonio, dictis SS. Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum etiam Prædeceſſorum noſtrorum, ſacrorumque Canonum Decretis, ſed propriâ etiam eorumdem Conciliorum confeſſione manifeſtè conſtat.* Numquid hæc omnia inſtitutam deliberationem indicant ? quis mihi hoc diſſuadebit ? citius credam aliquem poſſe reperiri perfectè ſcientificum abſque eo quòd præmiſſas cum conſequentia connexas agnoſcat. Annè illi Patres poſſunt illam Pontificis authoritatem per tot irrefragabilium probationum media ita extollere abſque eo, quòd proprias Conciliorum confeſſiones attentè perlegerint, dicta SS. Patrum ac Pontificum ſagaciter perſpexerint, ſcripturæ teſtimonia funditùs ſcrutati fuerint ? Si hoc neges, non eſt, qui non judicabit te injurioſum fore illis Concilii Patribus. Si concedas : quâ fronte negas illos ex inſtituta deliberatione concinnaſſe ? profectò ego non video : ad hominem argumentor. Si ego Illuſtriſſimæ veſtræ gratiæ pacem compoſituræ per ſuam (quam impugno) epiſtolam inter Theologum Gallum, & D. Steyaert, objicerem, quòd epiſtolam ſuam non compilaverit ex inſtituta deliberatione, ubi tamen teſtaris te utriuſque partis ſcripta legiſſe, numquid me ut Stultum vel delirantem depingeres ? putem quòd ſic : vel ſi fatearis te tuam epiſtolam non ſcripſiſſe ex inſtituta deliberatione, non obſtante quòd utriuſque partis ſcripta legiſti, profectò impoſterùm labori parcam te impugnandi, quia non niſi cum humano modo, ſeu inſtitutâ deliberatione ſcribentibus certare deſidero. Puto quòd eligas mihi reſpondere te ex inſtituta deliberatione ſcripſiſſe ; & judico etiam quòd ſic. Ut quid igitur non idem judicas de Patribus Concilii Lateranenſis, cùm teſtentur ſe legiſſe in SS. Patribus, in ſcripturæ teſtimoniis, in Conciliorum propriis confeſſionibus, in Pontificum Decretis, in ſa-

Digitized by Google

crorum Canonum Sanctionibus, *olim Pontificem pro tempore exiſtentem tamquam authoritatem ſupra omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac doſſolvendorum plenum jus, ac poteſtatem habere?* Iterùm non video quomodò judicare poſſis non eſſe ex inſtituta deliberatione hoc Decretum editum. At inquies non fuit Patribus illa quæſtio propoſita, ut tamquam de fide credenda promulgaretur. Eſto, ita ſit. Hinc benè inferes, ergò opinio contraria non eſt hæretica, & ſic gloriaris Bellarminũ non fuiſſe auſum opinionem veſtram hæreticam declarare, quaſi laudi tibi eſſet Bellarminum opinionem veſtram tamquam hæreticam non propalaſſe, qui eam tamen; ut temerariam non veretur cenſurare. Et meritò cùm noſtra opinio iis probetur argumentis, quibus *freti, circumdati, delectati, armati contra cuncta inimicorum jacula perſiſtere valeant*, ut teſtatur Canon. nolite errare d. XI. Ergò & ego ſententiam veſtram (ex vi hujus teſtimonii ex Concilio deprompti) ut hæreticam non cenſuro, ſed certè non minus quàm Bellarminus eam ut temerariam judico, cùm ex tam luculentis teſtimoniis hactenus Pontificis ſupra Concilia eminentiam aſſeruerim, infalibilitatem ſtabiliverim, aliaſque prærogativas invincibiliter probaverim, & iterùm profiteor cum Concilio Florentino p. 2. collat. 22. dicente. *Definimus S. Apoſtolicam ſedem, & Romanum Pontificem Succeſſorem eſſe B. Petri, verticis Apoſtolorum & verum Chriſti Vicarium, & TOTIUS ECCLESIÆ CAPUT, & omnium Chriſtianorum Patrem, AC DOCTOREM exiſtere, & in univerſum Orbem tenere primatum, & in B. Petro PASCENDI, REGENDI, ET GUBERNANDI UNIVERSALEM ECCLESIAM, A DOMINO NOSTRO JESU CHRISTO PLENAM POTESTATEM TRADITAM ESSE.* O inſignem Apoſtolicæ ſedis eminentiam! cui *privilegia ſpecialiter ſunt conceſſa, tam DE CONGREGANDIS CONCILIIS, & Judiciis, ac reſtitutionibus Epiſcoporum, quàm de SUMMIS ECCLESIARUM NEGOTIIS.* 2. q. VI. c. ideo.

Alterum accipe Summi Pontificis ſupra Concilium infalibile indicium. Semper enim ſervatum eſſe dicit Pelagius Papa, quòd etiam de univerſalis Concilii judicio ad ſedem Apoſtolicam appellaretur, quod eſt indubitatum ſuperioritatis ſpecimen. Audi ergò Pontificem loquentem 25. q. 5. c. de Luguribus..... *De Luguribus atque Veneticis, & Hiſtriis Epiſcopis, quid dicam? quos idonea eſt excellentiâ veſtrâ & ratione & poteſtate reprimere, & dimittis eos in contemptum Apoſtolicarum ſedium de ſua ruſticitate gloriari: CUM, SI QUID EOS DE JUDICIO UNIVERSALIS SYNODI, quod Conſtantinopoli per primam nuper elapſam indictionem actum eſt, FORTE MOVEBAT, AD SEDEM APOSTOLICAM (QUOMODO SEMPER FACTUM EST) electis aliquibus de ſuis, qui dare, & accipere rationem poſſunt, DIRIGERE DEBUERUNT, & non clauſis oculis Corpus Chriſti Dei noſtri hoc eſt S. Eccleſiam lacerare.* De hac autem prærogativa repletum eſt Jus Canonicum ideoque à relatione ſuperſedeo, etenim ſcio nos omnes admoneri, *privilegia ſedis vos oblivioni tradere nullatenùs debuiſtis, QUIBUS VENERANDI CANONES JUDICIA ECCLESIÆ AD HANC DEFERRI JUBENT,*

Digitized by Google

JUBENT. 2. q. 6. c. arguta. Quibus ſemel à ſede Apoſtolica judicatis non datur ab hac ſententia appellatio, quia *nemini eſt de ſedis Apoſtolicæ judicio judicare, aut illius ſententiam retractare permiſſum*, *videlicet propter Romanæ Eccleſiæ Primatum, Chriſti munere in B. Petro Apoſtolo divinitùs collatum.* 17. q. 3. c. nemini.

Horrui dum legi in tua Epiſtola hæc quæ ſequuntur, *ſi Pontifex protervè ad Synodum venire noluerit, continnò renuntiat Eccleſiæ, atque adeò jam Æthnicus factus eſt & Pnblicanus, deſinit eſſe præcipnnm & primarium Chriſti membrum deſinit ad Chriſtum pertinere.* Sic reſpondes Pontifici qui *eſt Judex omnes judicans ipſe à nemine jndicandus*, ut loquitur Synodus Romana ſub Nicolao I. ? neſcio quò te perduxit tua affectata opinio. Certè acceſſiſti ad cor altum cenſurans Chriſtum Domini, infirmata eſt contra te lingua tua, quia protulit judicium, quod ad te nullatenùs ſpectat, quia *nemo judicabit primam ſedem* 9. q. 3. c. nemo. Quò uſquè tui ipſius es oblitus, ut Summum Pontificem declarare audeas *Æthnicum & Publicanum, ad Chriſtum non pertinentem* ? An ignoras ſcriptum eſſe *ejectionem Summorum Sacerdotum ſibi Dominus reſervavit, licet electionem eorum bonis Sacerdotibus, & ſpiritualibus populis conceſſit.* d. 79. c. ejectionem quomodo ergo Domini officium uſurpas ? profectò niſi ſcriptum foret *iraſcimini & nolite peccare*, neſcio quo uſque iracundia mea hoc me legentem perduxiſſet! pro nunc ceſſo exagerare, ſed lachrymis in chartâ lituras facientibus ſcribo, quod ex ore nobiliſſimi cujuſdam Hollandi Catholici lachrymabili voce narantibus audiverim, quod non ſine ſuâ aliorum que Catholicorum confuſione hoc veſtrum dictum ipſis cum Pontificis & Religionis noſtræ contemptu fuerit exprobratum ab Hæreticis. Vide quid cauſaveris, & impoſterum ſine temerariis cenſuris ſententias noſtras veritatis indagandæ causâ mutuo proponamus.

Non potui ſatis demitari veſtram in defendanda Concilii authoritate inconſtantiam, quam pandis dum dicis *non poſſe vera eſſe, & legitima generalia Concilia, neque Eccleſiam repreſentare, ſi non adſit ſucceſſor Petri, quando vult & poteſt adeſſe.* Non vides nos conſtantiores eſſe in defendenda Pontificis authoritate quam vos in propugnandâ Conciliorum eminentiâ ? nos ſoli Pontifici in determinandis rebus fidei independentem adſcribimus authoritatem infalibilem, & qos Concilii eminentiam & extollitis, & deprimitis; extollitis quidem, dum illa irreformabilia prædicatis, deprimitis autem dum illa illegitima dicitis ſine ſummo Pontifice. Ecce contradictio : ſi enim Concilium ſit ſupra Papam, quid legitimitatis adfert Papæ per vos tantum Eccleſiæ, membri & quidem unici præſentia, vel demit abſentia? melius ergo fatere, Illuſtriſſime Domine, independentem Pontificis infalibilitatem, quam dependentem Concilii authoritatem: etenim difficulter probaveris Pontificem eſſe caput Concilii, & eſſe ſub Concilio; niſi forſan admittas Concilium monſtroſum eſſe corpus, dum Pontifici conjungitur, ut capiti, quod in canos Illuſtriſſims hominis ſenſus incidere poſſe non reor.

In duobus ultimis veſtris quæſtionibus multa quidem reperio, ſed quia vel non ad rem pertinent, vel jam preoccupata ſolutione coruunt, ideo eas breviter tranſcurro. *Diſputatur*, inquis, *utrum ſaltem, cum Concilia ecnmenica non habentur infalibilia ſint ſummorum Pontificum decreta: hoc enim, ut ajunt, qui noſtræ ſententiæ adverſantur, ad Dei providentiam videtur pertinere, ut ſuam Eccleſiam neceſſario præſidio deſtitutam non deſerat, Deſeret porro, ſi nulla eſſet tunc temporis infalibilis authoritas, per quam hæreſes comprimerentur, ſine quibus non vivimus, cum teſte Apoſtolo 1. cor. 11. oporteat hæreſes eſſe.* Palmare hoc (uti tu vocas) & invictiſſimum adverſariis tuis argumentum nullo negotio ex ſufflare te jactas, ſed iterum inaniter aërem verberas, qnia fies laſſus halitum reſumendo, & nimis debilitatus omnia quibus hoc argumentum confortavi, argumenta ex ſufflare non poteris, Quærendo alloqueris Dominum Steyaert, *eruditiſſime magiſter quid*

reponent, ſi ergo ab ipſis viciſſim ſciſciter, ubi erit ad revinceudos errores neceſſaria infalibilitas, ſi forte Papa ipſe labatur in hæreſim ? repono hoc eſſe impoſſibile. At replicas, *vel devotiſſimi infalibilitatis Pontificiæ defenſores non negaverint Papam poſſe errare, ut privatum Doctorem.* Quid obſtat ? imo & ſic erraſſe opinor Adrianum VI. ſi docuerit, uti infra ſcribis, *errare poſſe ſummum Pontificem, & hæreſim docere ſuâ decretali.* Sed numquid ideo dicendus foret hæreticus ? abſit. Numquid enim ut hæreticus quis cenſeatur requiritur, ut cum pertinariâ tueatur errorem fidei contrarium ? indubie reſpondes, quod ſic. Quomodo autem cum pertinariâ poteſt tueri errorem fidei contrarium, ſi nondum S. Spiritu aſſiſtente vel Pontifici, vel generali Concilio, declaratum ſit eſſe punctum fidei ? diſtingue inter docere ſimpliciter, & inter docere pertinaciter contra fidem, & depræhendes ex huc uſque per totam epiſtolam dictis, an poſſit ſummus Pontifex errare, ut privatus doctor docendo tantum ſimpliciter, an etiam docendo ſimul cum pertinaciâ contra fidem; hoc erroneum reputo, illud humanum eſſe non eſt, qui non videat, qua propter vana rurſum eſt illa conditionalis, *ſi ergo fiat hæreticus, profecto ceſſabit ejus infalibilitas.* Quia numquam à Domino permittetur in hæreſim labi eos, qui aliis fidei dogmata finaliter prædefinire debent ut loquitur S. Auguſtinus ſerm 2. de verbis Apoſt, c. 10. *duo Concilia miſſa ſunt ad ſedem Apoſtolicam, inde etiam reſcripta venerunt cauſa finita eſt.* Ecce ſoli ſedi Apoſtolicæ finem cauſæ adſcribit Auguſtinus, non autem Conciliis.

Nunc volante Calamo ad cætera veſtra argumenta, ſed tantum præcipua reſpondeo. Cauſam in primis S, Cypriani ita urges, ut negotium confeciſſe videaris. Sed opus male inceptnm numquam bonum finem ſortitur. Candide dico nihil ex hoc contra nos concludis, quia deberes prius evincere Stephanum Papam quæſtionem illam inter ſe & D. Cyprianum ex Cathedrâ decidiſſe, & tunc victas manus daremus; ſed ubi umquam Stephanus Papa ſeſe ex Cathedrâ loqui declaravit ? certe nullibi, vel oſtendas : quin imo, quia juxta S. Auguſtinum erat periculum *pernicioſiſſimæ diſſentionis* prudenter diſſimulavit : & ſi ex hac diſſimulatione concludere velis ipſum non habuiſſe definiendi infalibilem authoritatem, cave, ne & ipſum Chriſtum authoritate infalibili ex ſpolies, quia aliquando ad tempus diſſimulavit; ubi tamen infalibilem mentem ſuam manifeſtare potuiſſet. Cur non fecerit Chriſtus ommiſcientiæ ejus adſcribo Cur non fecerit Stephanus, prudentiæ attribuo. Unde iterum inordinate exclamas. *Certe ſi Stephanus & Cyprianus in unitate permanſerunt contraria ſentientes, Stephani authoritas & infalibilitas non potuit eſſe Cypriani regula. Anne ergo poſſent in unitate Catholicæ Eccleſiæ conſiſtere, ſentientes ab Euchariſtiâ abeſſe corpus Chriſti, quod adeſſe docet Catholica Eccleſia* ? Anne ignoras, quod prudenter aliquando potentia coerceatur, & non reducitur ad actum ? erat Stephani authoritas & infalibilitas fidei Cypriani regula, ſed eum reſolutiones ſuas ut fidei dogmata Cypriano propoſuiſſe non eſt qui demonſtret. Bene ergo permanſerunt in Eccleſiæ unitate Stephanus, & Cyprianus, in quâ tamen non permanaſſiſſent, ſi Eccleſia per Concilium generale capiti ſuo confirmanti conjunctum, vel Pontifex ex Cathedrâ aliud defini viſſet, ſicut de Euchariſtiæ Sacramento & definitum & traditum habemus unde lterum hoc exemplo à propoſito deflectis

Sed inſtas, *ſi Chriſtus Dominus*, inquis, *infalibiles conſtituit Petri ſucceſſores, eos profecto conſtituit, ut fidei noſtræ ſint cuſtodes, eamque certò determinent.* Ergone tibi ſatisfactum ducis, dum Petri ſucceſſores, ut fidei cuſtodes, eamque certò determinantes probavero ? poſſum ergo triumphum canere, & gratulari Pontifici propter deciſam litem etiam cedentibus adverſariis, Quanta Victoria ! quæ ſecuritas ex hoc reſultabit in populis, imo & in univerſâ Eccleſiâ ! quanta pax & unio inter Doctores, Epiſcopos, Presbyteros ! gratulor itaque & vobis Epiſcopi, Doctores, Presbyteri, & univerſa Eccleſia propter obtentam tranquillitatem : Concil. Epheſ. tom. 2. c. 15, & Petrus Chryſologus, cujus verba propria ſubjicio, dicunt quod Pontifex ſit *cuſtos fidei, Petra Eccleſiæ Janitorque cœlorum* (ecce unum quodquod quæſiviſti, an ſit cuſtos fidei.) *Et manifeſtâ luce* (ecce aliud, quod certò determinet (*reſerat ſacrorum voluminum myſticas quæſtiones* ſerm. 107. maximas gratias Petre Chryſologe pro Doctiſſimo argumento, & pro fine impoſito noſtræ diſputationi.

Jam tempus veſtrum diſputandi effluxit, ex proprio ore judicatus es, convictus es, finiatur publica diſputatio : ſed nos interim propter pacem initam familiari adhuc colloquio in ſecreto fruamur. Equidem numquid erat ridiculum quando eras in fervore tuæ diſputationis? inſumebas tempus probando hominem eſſe Pontificem ſimilem aliis de quibus dicitur *omnis homo mendax* Rom. 3, & adi

Digitized by Google

hoc probandum hunc ſcripturæ locum aſſumebas. Numquid, inquam, hoc erat ridiculum ? quid enim hoc veniebat ad rem ? non enim hoc negabant Pontificis defenſores, nec aſſerebant Pontificem exuiſſe humanitatem ſuam, & corruptos naturæ mores, & incliuationes per Pontificiam dignitatem penitus fugaſſe : è contra agnoſcebant eum ut verum hominem, luteum vas portantem cum Auguſtino concedebant: ipſi tantum agebant de Perfectione Pontificiâ in determinandis rebus fidei, eamque tantam prædicabant, ut infalibilem probarent ex ſcriptura, SS. Patribus, & traditione : & tu à diſputatione hac deflectebas. Quid dicam ? homines ſumus, humanum eſt aliquando ita diſputationis fervore abſorberi, ut vix videamus quid dicamus.

Eundem fere errorem commiſiſti, quando, ut Papæ falibilitatem adſtrueres, Adriani VI. Theologiam inculcabas, in quâ docet, *errare ſummum Pontificem poſſe, & hæreſim docere ſuâ decretali.* Nonne videbas, quod illos non urgebat illa Adriani authoritas ? tam nervoſe enim probaverant decretalium Pontificialium infalibilitatem, ut non ſit qui reſiſtat, & eſto hoc tam efficaciter non probaſſent, argumentum veſtium nihil concludebat, quanbo dicebas quod Adrianus hoc ex Cathedrâ docuiſſet, & probabas ex eo quod libros ſuos reimpreſſerit, & per Eccleſiam divulgaverit tempore ſui Pontificatus: ſed hoc, inquam, non concludebat. Alioquin omnes Pontificum libri circa mores, vel religionis materiam im Preſſi continerent puncta fidei, quod, quam ſit abſurdum, vel ipſe fateberis. Debebas ergo ad alia armamentaria confugere, ut tela coacervaſſes, quibus Pontificem ex ſuâ infalibili Cathedrâ ejaculaſſes, ſed (ſicut expertus es, dum convincebaris) numquam ſcopum attigiſſes.

Propoſitiones Janſenii ut hæreticas admittebas, ſed per hoc te ipſum jugulabas : quia ipſi petebant, quâ authoritate damnatæ eſſent. Tunc dicebas per Eccleſiæ authoritatem. At illi replicabant oſtendas Eccleſiæ Concilium, quod propoſitiones Janſenii damnaſſet : mox recurrebas ad conſenſum Eccleſiæ per totum mundum diſperſæ. Sed illi tam dextré tibi reſponderunt, ut lubeat illa repetere in noſtro familiari colloquio. Dicebant autem, quòd Galliarum Epiſcopi complures ſequentes Canonum Decreta ſtatuentia *omnes de fidei veritate quæſtiones* (uti probaverant) *ad Apoſtolicam ſedem eſſe deferendas, ut illius audientiæ ſententiâ decidatur.* c. frater noſter 16. q. 1. Et agnoſcentes infalibilem Pontificis determinationem *inſtiterunt ut eaſdem propoſitiones nobis oblatas expenderemus*, (ut loquitur in ſua Bulla Innocentius X.) *ac de unaquaque earum certam* (nota benè) *ac perſpicuam ferremus ſententiam.* Erant autem illæ propoſitiones Janſenii. Tunc Summus Pontifex, *indictis ab initio diſcuſſionis precibus, & per ſe ipſum imploratâ Spiritûs S. aſſiſtentiâ tandem divino Numine favente* (ut Bulla teſtatur) *ad declarationem & definitionem devenit.* Quæ definitio erat quòd propoſitiones eſſent hæreticæ & illicò publicavit, atque ut decet infalibile caput, non exſpectato Eccleſiæ diſperſæ conſenſu (quia conſenſus Pontificis eſt Eccleſiæ conſenſus) audacter prolocutus eſt *Mandamus igitur omnibus Chriſti fidelibus utriuſque ſexûs, nè de dictis propoſitionibus ſentire, docere, prædicare aliter præſumant, quàm in hac præſenti noſtra declaratione & definitione continetur, ſub cenſuris & pænis contra Hæreticos, & eorum fautores in jure expreſſis. Præcepimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque eorum ordinariis, nec non hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, ut contradictores & rebelles quoſcumque per cenſuras & pænas prædictas, cæteraque juris, & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachii ſæcularis omninò coerceant, & compeſcant.* Certè ex his Pontificis verbis omnes omninò fideles, ipſoſque Prælatos ſtringentibus invincibiliter concludebant non ex Eccleſiæ diſperſæ conſenſu, ſed ex ſolius Pontificis definitione hæreticas eſſe illas propoſitiones, quia Eccleſiæ diſperſæ conſenſus ex obedientia procedebat, ſicut teſtatur Alexander VII. in epiſt. ſua reſponſ. ad Facultatem Lovanienſem 7. Auguſti 1660 miſſa, in qua ejus *obedientiam & Reverentiam* erga Decreta Apoſtolica circa propoſitiones Janſenii edita laudat, iiſdemque terminis, quibus ſupra, eâdem authoritate idem Pontifex Bullam edidit Janſenii propoſitiones damnantem, in qua eos, qui eaſdem damnatas propoſitiones non abſolutè damnatas in ſenſu ab eodem intento cauſarentur, *iniquitatis filios* appellat quia Decretum Jnnocentii X. non admittebant : quod manifeſtè oſtendit Pontificis infalibilitatem ab Eccleſiæ conſenſu non dependere.

Illuſt. D. hinc vides, quare riſerim, quando hoc in tuis ſcriptis legi dum aloqueris tuos adverſarios his verbis *quid reponent, ſi ipſis objectem unum ex Janſenii erroribus, eum ipſum eſſe, quem jam inſectamur, cùm Pontificiam infalibilitatem tuitus ſit* ? & adverſarii tui reſpondebant ſatis le-

pidè ut *Galli* cantum aſpernabuntur, uti & nunc aſpernuntur.

Ut finem noſtro colloquio imponam breviter Antitheſes aliquas tuorum adverſariorum proferam. Pontificem (antequam convictus eras) non agnoſcebas ut *Epiſcopum Epiſcoporum.* Adverſerii tui agnoſcebant eum ſicut & nunc agnoſcunt cum Concilio Calcedon. act. 6. *ut Apoſtolicum univerſalis Eccleſia, & Epiſcopum omnium Eccleſiarum* : & cum Petro Damiano opuſc. 23. c. 1. *ut Epiſcopum ſolum univerſalem.* Tu negabas Pontificem *ita univerſalem Epiſcopum quaſi vel ipſius Epiſcopatûs ſingularis ſit, aut cateri Epiſcopi, quos Spiritus S. poſuit regere Eccleſiam Dei, ſuum ordinem, ſuam poteſtatem, ſuam juriſdictionem Petri Succeſſori non Chriſto immediatè acceptam referant.* Ipſi cum Leone ſuſtinebant, quòd *etſi quid commune cum eo* (ſcilicet Pontifice) *cateris voluit* (Chriſtus) *eſſe Principibus, numquam niſi per ipſum dedit quod aliis non negavit....* Et iterum *cùm multa ſolus* (Pontifex) *acceperit, nihil in quemquam ſine illius participatione tranſierit...* Alios Epiſcopos probant procedere à Summo Pontifice *ut membra de membro* c. ſignificaſti de elect. *quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut ejus Succeſſores conſtituerunt Sacerdotes.* d. XI. c. quis. Scilicet quia Summi Pontificis ſedes *Sacerdotalis eſt mater dignitatis.* d. 19. c. in memoriam. Tu admittebas *Pontifices rebus Eccleſia providere ita ut eorem Decreta quoad fidem, & quoad mores ſecundum Canones, & antiquas ac laudabiles Nationum conſuetudines, amplectenda ſint donec ex toto Orbe Sacerdotes congregentur.* Adverſarii tui probabant & quidem inſuperabiliter ſecundum Canones, & antiquas & laudabiles Nationum conſuetudines ita admittenda eſſe ut perpetuæ, & inconcuſſæ authoritis eſſent antequam Sacerdotes ex toto Orbe congregentur vel ab omnibus ſigillatim Eccleſiis recipiantur, quia noverunt quod Summus Pontifex Eccleſiæ MANSURA ETIAM IN CŒLIS JUDICIORUM SUORUM DEFINITIONE PRÆFICITUR, ut loquitur S. Leo. Atque hęc ipſi conceſſa eſt authoritas, ut Eccleſia Deí (cum Innocentio X. in Bulla citata loquor) ipſi *ex alto commiſſa, purgatis pravarum opinionum erroribus, tutò militare, & tamquam navis in tranquillo Mari, ſedatis omnium tempeſtatum fluctibus ac procellis ſecurè navigare, & ad optatum ſalutis portum pervenire* poſſit.

Accedamus ergò & nos (quandoquidem in die hac amici facti ſimus & in doctrina conveniamus) ad hunc tutiſſimum portum, & deſcendamus in navim Petri; vel Succeſſoris ejus, quia *non turbatur navis, quæ Petrum habet. Non turbatur hac navis in qua prudentia navigat, abeſt perfidia, fides aſpirat, quemadmodum enim turbari poteſt cui preeſt is*, IN QUO EST ECCLESIÆ FIRMAMENTUM. 24. q. 1. c. non turbatur. Deſcendamus inquam in hanc navim Perri, in eaque immobiliter permaneamus. Et ſi quod occurrat de fidei dogmatibus dubium, aderit nobis PETRUS NECESSARIUS CHRISTIANORUM CONSILIARIUS, qui interpretabitur dubioſas ſcripturæ ſermocinationes, quia clariſſimam ſponſam Eceleſiam *huic tamquam piſcatori recte* DOMINUS FIDIT, *cum diceret vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui prius aſcenderit, tolle, & aperto ore ejus invenies ſtaterum : ſceleratorem Judeorum mentem mare vocans, hamus artificioſum doctrina ſermonem, piſcis legem ſignificat*, OS DENIQUE APERIRE INTERPRETARI. Idque ita Dominus conceſſit Petro, ut non ſolum vulgi, non ſolum Epiſcoporum, ſed & APOSTOLORUM DOCTOR, AC FIRMA FIDEI PETRA exiſteret, ſiquidem PETRUS, eſto *ad modicum fluctuans*, IN PERPETUUM INVENTUS EST FUNDAMENTUM ECCLESIÆ. Hactenus Chryſoſt. orat. de Petro & Paulo, & homil. de duodecim Apoſt. cum quo ibidem & oratione de Petro & Elia Petro congratulor dicens, *gaudeas* PETRE FIDEI PETRA, CUI ECCLESIA CREDENDA ERAT, ECCLESIARUM COLUMMA, PARTUS FIDEI, ECCLESIÆ PROPUGNACULUM, itaque, ill. d. ne, cum hoc eodem S. Patre loquor, in omnibus & ſingulis fidei quæſtionibus, honoremus, revereamur, ac invocemus *Petrum Apoſtolorum verticem, fundamentum immobile, Petram ſtabilem, & qua frangi non poſſet, Eccleſia principem, portum in ex pugnabilem, turrim firmâ, & qua non poſſet concuti*, quia hic tuti ſumus, hic ergo in ſecuro ſiſtamus, & mutuo valedicamus.

Illuſtriſſime Domine,

Leodii 25. *Septemb.* 1688. Illuſt. V. G. indignus famulus

FRANCISCUS VERITE.

Errata notatu neceſſaria.

Fol. 2 linea 26 volumina, lege voluminum. f. 4. l. 24 poſt q, 1, c. adde in ſede. f. 5. l. ertror, l. errori, & l. 8. probare, l. formare, & f. 24. poſt ut per, adde ipſum. f. 6. l. 8. irreprçhenſibilis, l. repræhenſibilis. f. 11. l. 10. poſt ita, adde ſunt. & l. 32 fieei. l. fidei. f. 12 l. 38 coralliorũ, l. corallariorum f. 13. volũt l. nolũt.

Digitized by Google